



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas huius ditionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. I. *Descriptio Historica Status Pontificij.*N V M. I. *Nomen huius regionis.*

TOTVS hic tractus vulgò Status Ecclesiasticus appellatur, seu Dominium temporale, vt aiunt, summi Pontificis, Italis *Stato della Chiesa*, hoc est Cathedræ Pontificiæ: à quibusdam vetustioribus S. Petri Patrimonium; quamquam hæc vox communiter aptetur parti Tusciæ. Reperio hoc Patrimonium S. Petri Latij magnam partem complecti, ideóque Ceperanum castrum ad Liris & Piscinæ confluentias dicitur esse Patrimonij S. Petri limes. Reliqua nomina (paucis exceptis) aut vetusta sunt, aut desumpta à quibusdam vrbibus.

Romandiola nomen recentius, nam antè Flaminia, & Æmia dicta fuit; sicque nominata est à Romanis qui pro Pontifice, & Imperio fortiter dimicassent, licèt tandem Longobardis cedere essent coacti. Hic quoque Exarchatus fuit olim, & pars Pætapeos, de quibus mox dicemus. Quomodo autem Romandiola laxius extensa fuerit, & Veronam vsque, & paludes Patuinas promota, leges apud Leandrum.

Marchia Anconitana nomen accepit à Longobardis, qui duo Marchionatus in Italiâ constituerunt Taruisinum, & de quo hic questio Anconitanum, sicque ab iis Piceni nomen expunctum est, cuius pars erat Pentapolis.

N V M. 2. *Quantitas dittonis Pontificiæ.*

Longitudo eius ducitur à *Melara* in Ducatu Ferrariensi, ad *Isoletam* in Liri fluuio, & quatuor totos gradus complectitur maioris circuli: igitur milliaria 240. leucas Francicas 120. Germanicas 60.

Latitudo porrigitur à Pro. Circeo ad vicum Palatum, in territorio Ferrariensi, continetque tres gradus cum 48. minutis; ergo milliaria 228. leucas Francicas 114. Germanicas 57.

N V M. 3. *Qualitas huius dittonis.*

CAMPANIA ROMANA. Eius aër parum salubris, tum ob Pom-

ptinas paludes, & solum humidius, tum quia parum cultus; adde etiam rudera quibus malignus aër continetur. Aquæ verò saluberrimæ sunt, maximè verò Tiberis, vt dicemus in Admirandis. In arenâ Anienis reperiuntur lapilli candidi tragematum ad instar, ideòque dicuntur *dragées de Tioli*. Regio tota admodum ferax, ac pascuis lata, & si cultores adessent nulli Italicæ regioni decederet: sed ad metendas segetes Longobardi euocandi sunt: vinum Albanum cæteris huius tractus antefertur.

AGER SABINVS, olei atque vini satis ferax. Hinc etiam afferuntur *vne passerine* dictæ sine acinis Corinthiacarum instar, quæ Romæ magni fiunt. De miraculis huius regionis dicemus suo loco.

PATRIMONIUM S. PETRI abundat frumento, vino, oleo: præcellunt cæteris vina *Montis Flusconi*. Hic quoque Balnea plurima inter cætera *Bolicana*, in agro Viterbiensi. Alumen hic quoque vestigalia Pontificis plurimum auget.

VRBEVETANVS AGER, *le Territoire d'Ornieto*, aëris saluberrimi est, vbi nihil etiam ad delicias deest, egregiè riguus est & fertilis.

PERVSINVS AGER, in collibus vinum generosissimum progignit, frumentum in vallibus, lacus tantam piscium copiam, vt toti Italiæ sufficere videatur.

DUCATVS SPOLETINVS, supra modum fertilis; ad urbem *Terni* prata ter & quater falcem sentiunt in anno.

MARCHIA ANCONITANA grauioris aëris in multis locis, sed nihil de antiquâ fertilitate perdidit. Carnes hic exquisiti saporis. Canabis quoque hic laudatur, vnde funes, & lina ex quibus Tela Anconitanæ totâ Italiâ celebres. Cera quoque Anconitanæ cæteris præferuntur ob exquisitissimum candorem.

DUCATVS VRBINI aëre parum salubri vititur, quare indignæ vix annum 50. attingunt, multi infantes & adolescentes moriuntur; huius tamen casus quidam referunt causam in fructus exquisitissimos, quorum hic summa copia. Ficus illinc suauissimæ effertur: in puteis plerisque aqua salsa reperitur.

ROMANDIOLA, frumenti tam ferax vt sæpe geminos exercitus Hispanorum & Gallorum aluerit sine caritate annonæ. Ad Ceruiam tantum salis conficitur, vt terris Pontificiis ad Boream sit satis, & aliquot aliis regionibus.

BONONIENSIS Ager, tam fertilis vt Bononia dicta sit *la Grassa*:

V V u u u ij

eius quoque vina Apiana laudantur. Abundat & lino ex quo Bissus Bononiensis conficitur. Dat & ferri atque aluminis multum, argenti non nihil. Celebrantur tota Europâ Tæniæ argenti textiles Bononienses *le passément de Boulogne*, quibus stupidis oculis illuditur. Laudantur quoque Tibialia Bononiensia ex serico, sicut & panni.

FERRARIÆ DUCATVS, frumenta & legumina vicinis etiam populis sufficit. Linum & canabis hîc quoque copiosè proueniunt, Aër paulò crassior est: ex vrbe Comaclo multi pisces saliti per Italiam sparguntur, & variis eius locis ad Padum anguillæ siccatae, totâ Europâ celebres. Hæc tamen regio molestas sentit Padi fluminis inundationes.

NVM. 4. *Mores subditorum Pontificiorum.*

AGRI ROMANI incolæ sicut & VITERBIENSES, & VRBEVETANI nihil habent diuersum in moribus ob vicinitatem. Omnes Curia Romanæ addictissimi, & toti sunt vt in eam promoueant liberos suos. Romani se adhuc gloriantur ad orbem regendum natos, sed eorum plerique putidè prudentes sunt. Ad omnem auram fortunæ mobiles, otiosi, deliciis deditissimi. Vrbs ipsa Roma propter ingentem conuenarum copiam nomine potius quàm re *Sancta* est, vnde extitit illa apud nos parœmia,

Bon cheval ny mauuais homme,

N'amenda iamais à Rome.

SABINI aliquid de moribus antiquis videntur retinuisse, animo enim satis fortes; sed quia voluptatibus dediti otium potius, quàm arma cogitant.

PERVSINI ingeniosi ferè omnes, liberales, fortes, & ad vtramque palladem facti atque nati. Præcipites vulgò creduntur & temerarij. Pisces lacus sui etiam carnibus anteferunt. Mulieres hîc totæ sunt in eluendis, & poliendis manibus.

SPOLETINI animosi sunt, & omnibus Italis virtute militari præferendi. Odiorum retinentissimi. quæ etiam ad liberos & nepotes cum hæc reditate obueniunt. Certè hîc plerique se auorum vltiores, aut proauorum gloriantur.

PICENTES, *ceux de la Marche d'Ancone*, exteros satis humaniter excipiunt, quidquid garriat, & mentiatur recens scriptor. Super-